

Ut contriti et confessi munere sacramentalis absolutionis accepto ad ipsam sub utraque sumendam accedant.

Qui fuerint haeresi contaminati absolvantur et hisce conditionibus admittantur ad Eucharistiam.

Non posse eos extra missae sacrificium communicare, qui sub utraque communicant; abscendant capillos superioris labri et alios omnes, qui possent aliquam sacramento irreverentiam offerre.

Mandandum est autem sacerdotibus, ne iis omnino, qui sub una adhuc communicarunt, utranque concedant.

Ut omnes abusus in calicis administratione tollantur, quamvis eo in genere maxima insit difficultas ob multorum sacerdotum incuriam ac negligentiam, ideo in hanc curam episcopis erit diligentius incumbendum.

Periculosum est reservare sanguinem ob multos enormes casus et summam irreverentiam, quae sacramento irrogatur. Quare omnino curandum esset, ut nullo modo servaretur, sed quando essent, qui sub utraque peterent, tunc celebrans consecraret quantum pro se sacrificante et pro communicante sufficeret, sicque tolleretur omnis difficultas.

Si autem agatur de infirmis, inducendi essent ad unam spetiem in tali casu afferendo causas iustas, videlicet pericula itinerum, cum ad pagos vel ad loca remota esset deferendum sacramentum, nec putarem difficulter id posse persuaderi, cum alioqui teneantur credere tantum sub una esse quantum sub utraque.

Quod si omnino servandus esset sanguis ultra dies octo, quin renovaretur, nullo modo reservari deberet; facile ne ex qualitate vini speties corrumpitur ideoque magna sacramento irreverentia inutritur.⁵⁾

Quibus rationibus adduci possent, ut qui sub utraque spetie communicant ad unam reducerentur:

Primo: Qui sua sponte communicat etiam ubi concessus est usus calicis et servatis conditionibus minorem capit fructum, quia qui sub una comunicat ex obedientia communicat, qui autem sub utraque ex permissione; melior autem obedientia quam victima I Reg. cap. 15, quo in genere a domino Rechabtae 35 cap. Hiereni laudati fuerunt,⁶⁾ quod servarent obedientiam patris ipsorum de non bibendo vino.

Secundo: Magis placet Deo si suos in sacramento unitatis con-

⁵⁾ *Welche Schwierigkeiten der Laienkelch mit sich bringen konnte, zeigt ein Gesuch der beiden Kapläne des kaiserlichen Hofspitals in Wien betreffs Abstellung desselben im Jahr 1584 (Tomek, Kirchengeschichte Österreichs II, S. 408).*

⁶⁾ *1 Samuel 15, 22; Jeremias 35.*